« *Carum* ipsum verbum est amoris, ex quo amicitiae nomen (nempe caritas) est ductum, quam si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quaedam utilitatum nostrarum. Prata et arva et pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex eis capiuntur. *Hominum caritas et amicitia gratuita est* ».

Iam vero caritas hominis ad Deum talis est ut amicitia sit hominis ad Deum. Quod enim sit homines inter et Deum amicitia, liquet ex his testimoniis Psal. CXXXVIII, 17. Nimis honorati sunt amici tui Deus. Sapient. VII, 14. Infinitus est thesaurus (divina sapientia) hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei. Isaiae XLI, 8. Et tu Israel serve meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici miei אֹהֲבִי Luc. XII, 4. Dico autem vobis amicis meis. Ioan. XV, 14. 15. Vos amici mei estis, si feceritis quae praecipio vobis. Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus eius, vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Eadem amicitia his formulis significatur. Prov. VIII, 17. Ego diligentes me diligo, quibus verbis mutuus amor seu redamatio propria amicitiae repraesentatur. 1. Ioann. IV, 16; qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo: quibus verbis mutua coniunctio et unitas propria amicorum significatur. Porro si homo iustus amicus est Dei, diligit ergo illum amore, qui proprius est amicitiae; atqui amor amicitiae in eo est, ut amicus propter se, ratione sui diligatur. Iste est amicitiae conceptus, quem omnes homines habent (cf. Aristotelem Ethic. VIII, c. 2. seq.). Qui proinde significari dicendus est his terminis *amicus, amicitia* a Spiritu S. in Scripturis adhibitis, si nihil sit conditioni hominum et Dei dignitati repugnans. Verum quid repugnat homini ad dignitatem filii adoptivi elevato atque deificato amicitia cum Deo?

Notandum ex Aristotelis doctrina Ethic. VIII, c. 7. praeter amicitiam inter pares, esse quoque amicitiam inter inaequales, quam vocat *amicitiam excellentiae,* qualis est inter parentes et liberos; huius autem generis est amicitia iustorum cum Deo. Addique potest ex Hieronymo in c. 7. Michaeae, amicitiam esse inter aequales, vel ipsam certe reddere aliqua ratione aequales, quatenus qui superior est, dignatur alterum sibi parem aliquo modo facere.

Sane dilectionem huiusmodi Christus in Apostolis desiderabat, cum diceret Ioan. XIV, 28: Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est. Nempe si Apostoli dilexissent Christum, gavisi essent pro gloria, quam post mortem Christus homo accepturus erat a Patre, hanc enim Christus significavit cum dixit: quia Pater maior me est. Cum enim ipso homine Pater

esset maior, ipsum ad se post mortem redeuntem glorificare poterat et reapse glorificaturus erat. Si igitur Apostoli dilexissent Christum, non de eius absentia contristati, sed de eius gloria gavisi fuissent, Atqui hic est purus perfectus amicitiae amor, quo Christus, non quatenus est bonus nobis, quo amore iam ab Apostolis amabatur, sed propter se ratione sui diligitur.

2) In oratione Dominica, qua quid desiderare nos oporteat edocti sumus a Christo, prima petitio ea est: *sanctificetur nomen tuum.* Quid vero per eam desideremus et petamus a Domino, docet nos s. Thomas II^a, II^{ae}. q. LXXXIII, a. 9. « In oratione Dominica non solum petuntur omnia, quae recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine, quo desideranda sunt, ut sic haec oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectus. Manifestum est autem quod primum cadit in desiderio nostro finis, deinde ea, quae sunt ad finem. Finis autem noster Deus est, in quem noster affectus tendit dupliciter. Uno quidem modo prout volumus gloriam Dei, alio modo secundum quod volumus frui gloria eius: quorum primum pertinet ad dilectionem Dei, qua Deum in se ipso diligimus, secundum vero pertinet ad dilectionem, qua diligimus nos in Deo. Et ideo prima petitio ponitur: *sanctificetur nomen tuum,* per quam petimus gloriam Dei: secunda vero ponitur *adveniat regnum tuum,* per quam petimus ad gloriam Dei et regni eius pervenire ». Idem docet Catechismus Romanus in explicatione huius primae petitionis, advertens « monere nos veram caritatem, totum ut animum et studium conferamus in Deum, qui quoniam est in seipso summum bonum, iure est praecipuo quodam ac singulari amore diligendus... Caritate (subdit) docemur et plus Deum quam nos ipsos diligere et primum petere quae Deo cupiamus, deinde quae nobis optemus ». Porro veram esse interpretationem s. Thomae patet: sanctificari enim nomen Domini est ipsum coli, celebrari, ut sanctum et venerandum haberi, sicut αγιαζειν est etiam venerari, teste Hesychio. Et sane cum secundae petitionis obiectum sit Deus prout bonus est nobis et primae quoque petitionis obiectum sit Deus, petatur vero hac aliquid aliud et quidem excellentius, restat ut Dei gloria propter ipsum Deum petatur actusque perfectus amicitiae per eam exerceatur.

Constat igitur ex Scriptura excitari nos ad huiusmodi amorem perfectum amicitiae erga Deum, nec satis accurate locutum esse Bolgeni, qui in Tractatu citato p. I. c. 2. n. 10. affirmat, in universa Scriptura Veteris et Novi Testamenti nullum occurrere testimonium clarum et efficax, quo amor ille benevolentiae sive amicitiae insinuetur.

XII. Patres quoque huiusmodi amorem celebrant, et ad eum fideles promovent. Ioannes Chrysostomus hom. VIII in epist. ad Ephesios: « Si quis in Domino insanit et eius amore flagrat, novit vim vinculorum. Maluerit esse vinctus propter Christum, quam habitare caelos... Hoc fortasse est praeclarius quam sedere a dextris eius... Etiamsi nullam haberet mercedem, hoc solum est magna merces et sufficiens remuneratio, haec gravia pati propter eum, qui amatur. Sciunt quod dicitur, qui amant ».

Auctor antiquus epistolae ad Turasium inter opera Cypriani: « Resurgere credimus mortuos, et plangimus. Quid faceremus, si mori tantummodo sine resurrectione praeciperet Deus? Voluntas utique eius sufficeret ad solatium, cui nullum praeponendum scimus affectum ».

S. Anselmus Monol. c. 68: « Nihil igitur apertius quam rationalem creaturam ad hoc esse factam ut summam essentiam amet super omnia bona, sicut ipsa est summum bonum: imo ut nihil amet nisi illam aut propter illam; quia illa est bona per se et nihil aliud est bonum nisi per illam ». Et meditatione 21. « Si amicitia delectat, diligent Deum (beati) plusquam seipsos... Et utique quantum quisque diligit aliquem, tantum gaudebit de bono suo. Sic et in illa perfecta felicitate unusquisque plus amabit Deum sine comparatione, quam se et omnes alios secum. Itaque plus gaudebit absque aestimatione de felicitate Dei, quam de sua et omnium aliorum secum ».

S. Bernardus Serm. LXXXIII. in Cantica n. 5. « Ipse meritum, ipse praemium sibi est amor, praeter se non requirit causam, non fructum. Fructus eius usus eius. Amo quia amo; amo ut amem ». Et in Tractatu De Diligendo Deum, quatuor distinguit amoris gradus, quorum ultimus est amor prorsus gratuitus. Cap. 9. ait: « Felix qui meruit ad quartum usque pertingere, quatenus nec se ipsum diligat homo nisi propter Deum... Amor iste mons est et mons Dei excelsus... quoniam tamen Scriptura loquitur Deum fecisse omnia propter semetipsum, erit profecto, ut factura sese quandoque conformet, et concordet auctori. Oportet proinde in eundem nos affectum quandocumque transire, ut quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sic nos quoque nec nos ipsos, nec aliquid aliud fuisse vel esse velimus, nisi aeque propter ipsum, ob solam videlicet eius voluntatem, non nostram voluptatem ».

Hunc amorem exhibent Augustini verba: « Minus est ipsa (anima) quam Deus et longe minus tantoque minus, quanto minus est res facta quam factor. Ergo amandus erat Deus: et amandus est Deus ita, ut si fieri potest, nos ipsos obliviscamur (Serm. 142. c. 3.) ». Et idcirco ait quod « melior est animus cum obliviscitur sui prae

caritate incommutabilis Dei, vel se ipsum penitus in illius comparatione contemnit (Lib. III De Lib. arbitr. c. 25.) ». Neque nisi hoc supposito amore dici potest: « incomparabiliter plusquam nobis (debemus impendere caritatem) Deo; fratri autem quantum nobis ipsis: nos autem ipsos tanto magis diligimus, quanto magis diligimus Deum. Ex una igitur eademque caritate Deum proximumque diligimus; sed Deum propter Deum, nos autem et proximum propter Deum (De Trinit. L. IX. c. 8.) ».

Tandem certum est hanc fuisse sententiam Patrum, per supernaturalia dona hominem fuisse deificatum et amicitiae vinculo coniunctum cum Deo: porro amicitiae ratio postulat ut amicus propter se diligatur. Sententia Patrum ex communi certaque doctrina Theologorum insequentium colligi etiam debet.

XIII. Scholasticos autem unanimes esse in hac re ipse Bolgeni testatur; iique omnes docent obiectum formale caritatis esse Deum, ut est bonus in se, qui propter se super omnia diligatur. Quod spectat ad s. Thomam, conferri possunt quaestiones de Caritate in II.ª II.ae a. q. XXIII. ad q. XXIX. et qq. de Caritate ac de Spe inter disputatas, et Opusculum LXI. de Dilectione Dei et Proximi; ex quibus testimonia quaedam dabimus inferius. Idem docet s. Bonaventura loco superius citato. Sententiam communem Scholae ita exhibet Suarez de Caritate Sect. 2. « Primo constat Deum sub ratione boni esse obiectum caritatis... Constat secundo Deum sub ratione summi boni, propter se amabilis, esse obiectum caritatis... Ratio est, quia in hoc differt caritas et ab omni alia dilectione boni creati et a dilectione ipsius Dei, quae est concupiscentiae vel spei: nam haec diligit Deum ut summum bonum diligentis, caritas autem diligit Deum propter se ».

XIV. Opportunum erit potiores expedire difficultates, ut veritas elucescat magis. Itaque aiunt: Deus est terminus nostrae caritatis, prout est obiectum beatitudinis, id docet s. Thomas II.ª II.ae q. XXIII. a. 4; ergo Deum diligimus prout est beatificans nos; non igitur quatenus est in se ipso bonus. Ita quoque Augustinus caritatem definit L. I. De Doctrina Christiana, c. 31: « Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum et se atque proximo propter Deum: » fruitionem vero ibid. c. 4. definit: « Frui est amore alicui rei inhaerere propter se ipsam » quod totum habet locum in amore concupiscentiae, quo Deus non propter bona creata, quae nobis communicat, sed propter ipsam bonitatem suam nobis bonam amatur. Unde idem Augustinus amorem castum, quo Deus est diligendus, illum esse statuit, quo Deus non propter alia bona, sed propter suam bonitatem nobis amatur. In Psalmum LV. n. 17. « Si amas, si su-

spiras, si gratis colis eum, a quo gratis emptus es... noli extra eum aliud ab eo quaerere, ipse tibi sufficit. Dicam fratres, in istis humanis coniugiis considerate cor castum quale sit ad Deum. Certe humana coniugia sunt: non diligit uxorem suam, qui propter dotem illam diligit, non maritum caste diligit, quae propterea diligit, quia aliquid donavit, aut quia multum donavit. Et dives maritus et pauper factus maritus est. Quam multi proscripti a castis uxoribus amplius dilecti sunt? Probata sunt multa casta coniugia calamitatibus maritorum; ne amplius amare quam maritum putarentur, non solum non deseruerunt, sed amplius obsecutae sunt. Si ergo maritus carnalis gratis diligitur si caste diligitur et uxor carnalis gratis diligitur si caste diligitur, Deus quomodo diligendus est verus et verax animae maritus ad prolem sempiternae vitae foecundans et steriles nos non esse permittens? Illum ergo sic diligamus, ut aliud praeter ipsum non diligamus ». Et in Serm. CLXV ad ea verba Apostoli: In caritate radicati et fundati, ut praevaleatis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, longitudo, altitudo et profunditas, ait n. 4. « Quid est habere altitudinem nisi cogitare Deum, amare Deum et gratis amare ipsum Deum adiutorem, ipsum spectatorem, ipsum coronatorem, ipsum praemii largitorem, postremo ipsum praemium deputare, non aliud ab ipso quam ipsum exspectare? Si amas, gratis ama: si vere amas, ipse sit merces, quem amas ». Ergo ex Augustini sententia amor Dei castus et gratuitus est amor Dei boni nobis. Idem clarius docet Hugo a s. Victore loco superius citato: « Quid est Deum diligere propter se ipsum? Ideo diligere ut habeas ipsum... sed forte mercenarius eris, si diligis Deum et servis ei, ut praemium ab illo accipias. Dicunt hoc stulti quidam etc. ut supra.

Rursus velle Deo gloriam et honorem, eo quod est infinite perfectus, est actus cultus et religionis, non caritatis: non ergo caritas fertur in Deum ut est in se ipso bonus.

Item si Deus in se bonus est obiectum caritatis, non est discrimen amplius inter amorem naturalem et supernaturalem; nam et amor naturalis fertur in Deum ut in se bonus est: bonitas autem Dei omnes prorsus perfectiones complectitur.

Praeterea negat s. Thomas actum caritatis esse benevolentiam II^{a}, II^{ae}, q. XXVII, a. 2. benevolentia autem est velle alicui bonum.

Ad 1.^{m} dicimus certam esse sententiam s. Thomae quod caritas diligit Deum prout est in se bonus. Nam II^{a}. II^{ae}. q. XXVI, a. 3. ad 3.^{m} ait « quod aliquis velit frui Deo pertinet ad amorem, quo Deus amatur amore concupiscentiae. Magis autem amamus Deum amore amicitiae, quam amore concupiscentiae: quia maius est in se bonum Dei, quam participare possimus fruendo ipso. Et ideo simpliciter

magis diligit homo Deum ex caritate quam se ipsum ». Et q. XXVIII, 1. ad 3. « De Deo potest esse spirituale gaudium dupliciter. Uno modo secundum quod gaudemus de bono divino in se considerato, alio modo prout a nobis participatur. Primum autem gaudium melius est et hoc procedit principaliter ex caritate, sed secundum gaudium procedit etiam ex spe, per quam exspectamus divini boni fruitionem ». De dilectione Dei c. 2. in ea verba: Diliges Dominum Deum tuum etc. ait: « Duplex est dilectio. Una concupiscentiae, qua diligimus illud, quod nobis volumus et desideramus ut divitias et honores; alia amicitiae, qua diligimus, cui bonum volumus, ut amicos. Utraque dilectione diliges Dominum Deum tuum ». Et c. 5. « Diliges Dominum Deum tuum etiam dilectione amicitiae ». q. Disput. De Spe a. 3. « Est duplex amor, quidam imperfectus, alius perfectus. Imperfectus amor alicuius rei est, quando aliquis rem amat, non ut ei bonum in se ipso velit, sed ut bonum illius sibi velit. Et hoc nominatur a quibusdam concupiscentiae... alius autem est amor perfectus, quo bonum alicuius in se ipso diligitur, sicut cum amando aliquem volo quod bonum ipse habeat, etiamsi nihil inde mihi accidat. Caritas autem non est quicumque amor, sed amor amicitiae, quo Deus in se ipso diligitur ». Et sic pluribus aliis in locis. Quapropter evidens esse debet sententiam s. Thomae in doctrina obiecta non eam esse, quam adversarius contendit. Quid ergo vult dicere s. Thomas? Hoc unum, nempe ut distinguat amorem caritatis ab amore naturali, monet bonum divinum, quod diligit caritas, esse bonum, quod fide credimus quodque supernaturaliter consequendum erit; beatitudo enim simpliciter appellata intelligitur beatitudo supernaturalis. Ceterum quod bonum caritate dilectum sit obiectum beatitudinis, id vero omnes fatentur et ii quoque qui dicunt Deum diligendum esse ut est in se bonus, ponunt enim summam beatitudinem hominis in huiusmodi amore divino consequente visionem. Nec s. Thomas determinat ibi quomodo Deus sit beatitudinis obiectum; ex eius vero universa doctrina liquet Deum esse beatitudinis obiectum et quatenus eo fruimur et quatenus fruimur per eum amorem, quo eum propter se, ut in se bonus est, diligimus.

Ad Augustinum quod spectat, respondemus primum distinguendo. Duplex enim distingui debet quaestio: 1^{a} an possibilis sit et divino verbo probata dilectio huiusmodi gratuita Dei propter se, idque crediderit Augustinus: 2^{o} an dilectio Dei boni nobis, qua ille non propter bona, quae confert, sed propter se ipsum amatur, sit dilectio perfecta satis eademque iustificans. Iam vero etsi demus hoc alterum sensisse Augustinum, non tamen sequitur ipsum negasse primum. Cum vero in concionibus alloqueretur fideles, satis ipsi fuit alteram

caritatem frequentius proponere. Respondemus secundo quod testimonia quoque obiecta ita possunt explicari, ut implicite significatus intelligatur amor, quo propter se, quia in se bonus, Deus diligatur. Sane actus fruitionis adaequate sumptus complectitur tum amorem Dei propter se, qui amor dulcis est et delectabilis tum amorem sui ipsius, cui Deus, quocum amore coniungitur, bonus est. Nec refert quod Augustinus ibidem, ubi definit fruitionem, nempe de Doctr. Christ. L. I. doceat c. 31. omnem, qui amat, vel frui vel uti re amata; Deum vero, qui nos amat, non frui nobis, quia non eget nobis, *quicumque enim fruitur, eget eo quo fruitur,* id inquam non refert; non enim significat quod ratio fruitionis sit indigentia fruentis, seu quod obiectum formale illius amoris, qui fruitio dicitur, sit bonitas rei quatenus est bona nobis, sed solum significat quod fundamentum illius amoris est quod bonum per se dilectum sit bonum amanti, et qui fruitur possit et diligere bonum quo fruitur tanquam bonum sibi; quod quidem in Deo non habet locum.

Ita quoque accipi possunt exempla allata amoris sponsae, ut non excludatur purissimus amor. Spectat enim Augustinus amorem qualis reapse invenitur in iis sponsis, quae caste et gratis diligunt sponsum. Iam vero licet sponsae ab initio sponsum diligant prout est ipse bonus sibi, deinceps tamen progrediente consuetudine et affectu, ipsum diligunt propter se, eique bonum volunt praecisione etiam facta a commodo et voluptate sua; quod quidem in amicitia usuvenire testatur s. Thomas II^a. II^{ae}. q. XXVII. a. 3: « Ad amandum disponimur propter beneficia suscepta: quamvis postquam iam amare incepimus, non propter illa beneficia amemus amicum, sed propter eius virtutem ». Et ibid. q. XVII. a. 8: « Spes introducit ad caritatem, in quantum aliquis sperans remunerari ab eo, accenditur ad eum amandum ». Itaque huiusmodi amorem sponsae, qui tamen non est seiunctus ab amore, licet sibi subordinato, proprii boni, dicimus accipi posse in verbis Augustini.

Porro Hugo Victorinus eos pseudomysticos impugnat, qui volebant ita Deum diligi ab hominibus, ut amor proprii boni excluderetur, quod quidem falsum est. Licet enim in actu dilectionis *praescindi* possit a desiderio fruendi Deo, nequit hoc tamen desiderium *positive excludi;* et licet possit elici actus caritatis hoc modo, ut etiamsi frui non deberemus Deo, illum tamen propter suam infinitam bonitatem diligere vellemus; haec tamen conditio habenda est ut impossibilis reapse in praesenti ordine providentiae et idcirco nequit absolute reiici desiderium et spes visionis divinae. Iubemur enim non tantum diligere, sed et credere, et sperare in Deum. Et sane, ut iam monuimus, ineptus esset amicus, cui cordi non esset

amato coniungi, eiusque aspectu et consuetudine frui. Huiusmodi ergo mysticos carpit Hugo; de cuius tamen consensu cum sententia communi dubitare non sinit quod habet eodem capite: « Sicut diligimus hominem propter iustitiam, idest quia habet iustitiam, et sicut diligimus hominem propter sapientiam, idest quia habet sapientiam (probat ergo Hugo amorem amicitiae erga homines; multo igitur magis erga Deum) sic diligimus hominem propter Deum, idest quia habet Deum... Cum hominem propter sapientiam diligo, ideo diligo, quia ipsam sapientiam diligo... Cum Deus diligitur propter se, diligitur quia ab alio non est, neque aliud ab ipso quod diligitur in ipso ».

Ad tertium dicimus quod velle, ratione excellentiae divinae, cultum et honorem Dei in signum protestationis nostrae subiectionis eiusdem excellentiae, est actus religionis, nec postulat amorem Dei proprie dictum. At velle ut Deo tribuatur debitus honor et gloria, quae quidem amplior est quam cultus, idque velle quia hoc est bonum Dei, et hoc bonum Dei velle, quia Deus placet nobis, eiusque bonitas diligitur, hic est actus caritatis, qui ne dum imperatus sed et elicitus a caritate esse potest (cf. Th. IV).

Ad 4.^{m} dicendum quod amor supernaturalis erga Deum duplici ratione differt ab amore eiusdem naturali. Primo ratione fundamenti. Est enim fundamentum amoris amicitiae erga Deum Deus bonus nobis: est autem in ordine supernaturali Deus bonus nobis, quatenus praeter dona naturalia, dona quoque supernaturalia, seque ipsum immediate communicat. Unde in supernaturali ordine vera est amicitia Deum inter et homines, qui ad divinam dignitatem evecti sunt, nec iam amplius servi sed filii et amici Dei exsistunt (cf. in Tract. de Deo creante etc. Theses de ordine supern.). Amor proinde consequens huiusmodi communicationem et super eam fundatus, est speciali modo amor amicitiae (II^a. II^{ae}. q. XXIII. a. 1). Differt secundo ratione intrinseca actus; est enim actus secundum fidem et intrinsece excedens naturae vires ac Spiritus S. opus. Convenit vero in hoc uterque actus quod in suo ordine uterque diligat Deum propter se.

Ut doctrina s. Thomae, quae ultimo loco obiicitur, intelligatur, recitanda sunt eius verba ex II^a. II^{ae}. q. XXVII. a. 2. in quo quaerit, utrum amare secundum quod est actus caritatis, sit idem ac benevolentia. Praemisso quod benevolentia sit actus voluntatis, quo alteri bonum volumus, eaque distincta ab amore sensitivo; quoad amorem intellectivum ita pergit: « Amor, qui est in appetitu intellectivo, etiam differt a benevolentia; *importat enim quamdam unionem secundum affectum amantis ad amatum,* in quantum scilicet amans aestimat amatum quodammodo ut unum sibi vel ad se pertinens, et

sic movetur in ipsum; sed benevolentia est simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non praesupposita praedicta unione affectus ad ipsum. Sic ergo *in dilectione, secundum quod est actus caritatis, includitur quidem benevolentia;* sed dilectio sive amor addit unionem affectus. Et propter hoc Philosophus dicit quod benevolentia est principium amicitiae». Et ad 1.^m^ argum. in quo obiicitur definitio Philosophi quod amare est velle alicui bonum, respondet « quod Philosophus ibi definit amare non ponens totam rationem ipsius, sed *aliquid ad rationem eius pertinens, in quo maxime manifestatur dilectionis actus* ».

Itaque e sententia s. Thomae benevolentia pertinet ad rationem dilectionis seu amoris in eâque maxime manifestatur dilectionis actus, eaque includitur in dilectione, quae est actus caritatis. Non igitur negat s. Thomas amorem caritatis esse benevolentiam, eo quod aliud sit amare et aliud bene alteri velle, ut obiicientes supponunt, sed quatenus benevolentia non est totum id quod est caritas, licet actus sit, in quo praecipue dilectio manifestatur.

Quid est ergo quod praeterea requiritur? Est unio affectus amantis ad amatum. Nimirum advertendum est loqui heic s. Thomam non de quocumque amore, sed de amore, *qui et quatenus est actus caritatis;* caritatem autem art. 1. q. XXIII, quae prima est de hoc argumento, definierat esse *amicitiam quamdam* hominis ad Deum. Amor ergo, de quo heic loquitur s. Thomas est amor amicitiae. Porro ne aequivocatio fiat, advertendum quod amor amicitiae dupliciter accipi potest. Primo prout distinguitur ab amore concupiscentiae, ratione tantum habita obiecti formalis; secundo prout amicitiam supponit vel facit, et ab eo, qui reapse amicus est, elicitur. In hoc altero sensu accipitur heic a s. Thoma, qui loquitur de actu caritatis, quae virtus est, quam proinde Thomas supponit ideoque et amicitiam supponit. Iam vero amor huiusmodi importat unionem affectus, scilicet non tantum exigit amantem esse unitum veluti habitualiter cum amato per affectum, sed in ipso exercitio actus, amor fertur in amatum tanquam in aliquid ad se pertinens, et quodammodo unum sibi; estque ille amor complacentia boni, quod est in amato, ac si esset bonum suum.

Cave vero ne istud putes perinde esse ac diligere amicum, prout est bonus diligenti. Nam imo verus amor amicitiae in eo est, quod amans extra se veluti raptus, reputet suum bonum amati, proprio bono veluti neglecto, illique bonum velit, eumque ratione sui diligat ac si esset ipse. Cuius amoris obiectum formale est bonitas per se amati; modus vero est haec unio affectus, qua bonum amati, eo quod est amati, reputatur ac si esset suum, eo quod totus in amatum translatus est amans.

Quod si amatus sit Deus, qui est finis cui factus est homo, tunc unio affectus maior est, fertur enim amor in Deum tanquam in aliquid ad se pertinens, eo quod amans totus est amati, bonumque amati, qui est infinitum ens et finis noster, est bonum amantis, quia nihil potest esse gratius creaturae, quam perfectio et felicitas, qua gaudet Deus suus.

THESIS XXIII.

(q. v. a. 1.)

Contritio concepta ex amore perfecto amicitiae, nempe ex dilectione Dei, qui propter se ipsum et super omnia appretiative ametur, peccatorem Deo reconciliat ante Sacramentum actu susceptum.

I. Non defuere quidem qui arbitrarentur perfectam contritionem, h. e. coniunctam immediate cum iustificatione, esse eam quoque, quae ex motivo proprio poenitentiae, prout est specialis virtus (Th.V.) vel motivo obedientiae aut religionis (Th. IV.) determinetur. Et licet sententia haec, quae plura enumerat motiva perfectae contritionis, non sit adeo communis imo a Vasquez erronea iudicetur (q. LXXXV. a. 2), eam tamen ut probabilem defendit Lugus Disp. V. Sect. 1.^a^ qui et motivum amoris concupiscentiae enumerat cum aliis, atque eam sententiam auctoritate theologorum non infimae notae probari posse dicit, atque testimonia Scripturae et Patrum postulantia dilectionem explicari ait utcumque posse de dilectione quoque, ut ipse loquitur, concupiscentiae. Hanc sententiam amplectitur cl. Hurter Tract. cit. n. 515. Imo, si (ut idem Lugus monet) Scholasticos consideres paulo vetustiores, facile liquebit eos generatim nomine contritionis, quam saltem existimatam ad sacramentum postulabant, eum dolorem intellexisse, quo displicet peccatum quia est offensa Dei; atqui ad huiusmodi actum vel specialis virtus poenitentiae, vel alia virtus generalis sufficere videtur. Cf. et argumentum desumptum a Lugo ex sensu fidelium, quod non parum efficax esse videtur. Ceterum, nos rem in medio relinquimus, cupientes in hac re potius doceri quam docere; etsi in eam sententiam maxime propendamus quod amor ille Dei, quem diximus amorem concupiscentiae aut familiaritatis, quemque adeo commendat Augustinus, sit sufficiens ad iustificationem. Ceterum ab hac speciali quaestione praescindentes, defendimus contritionem determinatam a caritate, qua Deus propter se ipsum super omnia diligitur, reconciliare hominem Deo. Id iis testimoniis efficimus, quibus patet actum verae caritatis cum interiore iustitia et sanctitate esse coniunctum: quae autem de vero